

„Noster“. Hoc pronomen rursus nos monet de fide, qua singuli statuere debent, sibi quoque Deum esse Patrem. Deinde eadem vox est commonefactio de fraterna dilectione et quod precatio sit commune bonum ecclesiae.

„Qui es in coelis“. Haec particula est asseueratio de omnipotentia Dei. Necessesse est enim statuere Deum non modo velle, sed etiam posse nos iuuare neque vel negligere nos vel esse alligatum ordini causarum secundarum. 5

[98:] Regulae de interpretatione quatuor priorum petitionum.

I. Quatuor priores petitiones intelligendae sunt relatiue, quia, etsi nomen Dei per se sanctum est et regnum ipsius et voluntas perficitur etiam sine nostra precatione, tamen nostrum est petere, vt nos quoque simus sacerdotes celebrantes Deum et ciues regni Dei et ministri facientes grata Deo. Sic, etsi bona corporalia etiam impijs suppeditantur, tamen petendum est, vt nos agnoscamus panem quotidianum Dei donum esse. II. Singulis petitionibus addenda est antithesis, qua petamus, non solum dari nobis bona spiritualia, sed etiam mala his opposita depelli ac remoueri vt D. Lutherus dicere solebat: „Non possum precari, quin simul oporteat imprecari.“¹⁸³ 10 15

¹⁸³ Vgl. Martin Luther, Vorlesungen über die Stufenpsalmen und Ps. 90 (1532/35), in: WA 40/III, 471,26–29.